

4. Instrumentis ex succino item, vitro paratis, exactissime indagari potest bonitas aquarum, præsertim falsarum, quænam salis quantitas contineatur in liquido.

5. Simili instrumento, aliter tamen, disposito, spiritus vini bonitas commode explorari potest.

6. Hydraspis *Wagenfeiliana* demonstratur, cujus beneficio homo per medias aquas ire potest sine metu immersionis.

7. Omnia metalla injecta mercurio ipsi supernatant, solo auro excepto quod fundum petit.

8. Curiosum est, per libram sub aqua positam metallorum item minerarum bonitatem, an aurum argentumq; contineant, explorari posse, ubi observamus, illa quæ in ære habent eandem gravitatem, si in aquis instituaturs ponderatio, differre multum pondere, unde quodnam corpus altero specie gravius sit, cognoscitur.

9. Curiosum identidem est instrumentum, qua 3 vel 4 libræ plumbi in aqua libere suspendi & detineri possunt, ut fundum non petant.

10. Tandem explicatur, cur corpora veneficarum plerumque non submergantur, sed supernatent, item quare in mari mortuo corpora humana non inferiora petant, & porro cur in aqua dulci submersa post mortem rursus in altum ferantur, nec non cur naves quæ in oceano natant, in fluvio submergantur, item quam ob causam pulmones infantis in utero demortui, in aquam si ponantur, descendant; sin autem infans vitalis fuit, ipsi aquæ supernatent, quo ipso infanticidium ordinarie detegi solet.

DEMONSTRATIO XVI.

Nullum corpus per se est leve, sed etiam omne tenuissimum grave est.

Expe-